XL.

I. N. J.

EXERCITATIO JURIDICA

De

EVICTIONIBUS,

Quam

Legumlatoris Supremi annuente Clementiâ permissuque

Magnifici JCtorum Ordinis Jenensis

SUB PRÆSIDIO

VIRI

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI atque EXCELLENTISSIMI

DN.


JOHANN. VOLK. Bechmanns/

J. U. D. Famigeratissimi, & in Almâ Salanâ Prof. Publ. Extraord. Meritissimi

Dn. Præceptoris atq; Patroni sui ætatem colendi omniq; animi observantiâ nunquam satis devenerandi

Publicæ Disquisitioni submittit

ABRAHAMUS Kirschte/ Vinariâ Thuringus, Autor.



Ad diem Decembr.

In Auditorio ICtorum.

JENÆ,

Typis SAMUELIS KREBSII,

ANNO M. DC. LVIII.

JOVA JUVA!

I.



Victio sumitur 1. generaliter, & communiter. 2. Specialiter & juridicè. Ab aliis politioris literaturæ Authoribus usurpatur variè; sic arbor celsô vertice evincit nemus, *Senec.* Platanus evincit ulmos. *Horat.* precando, lachrymando & instando evincunt, ut literæ ad Tarquinium darentur *Liv.* Ita res etiam in jure evincuntur fugâ, morbô *l. 13. §. 1. ff. d. A. E.* Dicitur ibi quasi Evictio. Et hoc in casu de Evictione actio non locum habet, sed tantum redhibitoria *l. 16. ff. d. Evict. l. 2. C. d. ædil. act. Rudolph. Torner. Rer. quotid. lib. 6. cap. 9.*

2. A Ictis sumitur specialiter pro illâ victoriâ & translatione de manu & potestate nostrâ in aliam, qua alicui res aliqua per sententiam judicis legitimam sine factô & culpâ possidentis ita aufertur & alteri adjudicatur *Vid. Ordinat. Imperial. Wormat. A. C. 1621. tit.* Wie es in Irrungen der Possession und der Entsetzung &c. *vers.* und ob sich/ *ibi:* und des mit recht überwunden were.

3. Dico per sententiam judicis, quia fit tantum per judicem, germ. Eine gerichtliche Abgewinnung oder Entwehrung *Danh. in prax. rer. Civ. c. 264. n. 1. & 2.* id est, addictio, adpropriatio vel adjudicatio. In potentiori tamen aliquo intellectu terminus germanicus Gewehr/ pro possessione usurpatur. Sachsenlehnr. *c. 11. ibi:* und es auch in seinen Ge-

wehr nicht hat. Rectius defensionem, die Vertretung significat: Vulgari usu ita obtinet ut ipsa quoque Evictio Entwehr adpelletur Gewehr.

4. Et hoc modô Evictio rursus duplicem induit significationem. Absolutè scil. & Relatè Consideratur. Evictio relatè accepta nihil aliud est, quàm venditæ rei ad instantiam Domini, vel alius in eâ potius jus habentis, defensio, & in casu succumbentiæ precii restitutio, ejusque quod inter est, compensatio & satis factio à venditore emptori præstanda. Et nostrâ vernaculâ vocatur die Gewehr/ Gewehrschafft und schadloß Haltung eines verkaufften Guts/ *Webner. pract. observ. verb.* Gewehr. *In Speculo Saxon. art. 9. Dicitur* Guarandatio *&* *art. 15.* Guaranda.

5. Evictio verò absolutè considerata, est rei ab alio emptæ vel quocunque legitimô titulô adquisitæ per judicem, quocunque judicii genere recuperatio *l. 24. & l. 34. ff. d. Evict.* & nostrâ vernaculâ vocatur die Endwehrung/oder eine gerichtliche Abgewinnung. *Danh. cit. loc.*

6. Genus est recuperatio vindicationi competens; sed diversô considerandi modô, quià vindicatio est potius medium seu modus evincendi & sic invicem differunt *arg. l. 34. §. 2. ff. d. Evict.* Et cum per precii restitutionem res ipsa vel repræsentativè recuperetur *arg. l. 33. ff. d. pecul. l. 39. ff. d. usufr.* scil. ab authore per precii & damni dati refusionem & restitutionem *l. 4. C. famil. ercisc.* In obligationibus rem restitui receptum est ut obligatio ad æstimationem succedat *Gail. 1. observ. 18.* Quod genus cum *Treutlero vol. 2. Disp. 2. θ 5.* licebit retinere.

7. Dico rei ab alio emptæ vel quocunque modo obligatæ recuperatio: Etenim rem nostram vel suam creditor non evincit, sed tantum obligatam recuperat *l. 4. l. 19. & l. 27. C. d. Evict.*

8. Causa

8. Causa efficiens est vel Remota vel propinqua: Remota est jus Gentium, quô & judicia & actiones sunt introductæ *l. 5. ff. d. Just. & jur.* propinqua est jus in re; quod est quibusdam Dd. quintuplex: Dominium, Pignus, Jus hæreditarium, Servitus & possessio; vel etiam Qualitas in hærens, quæ facit, quô minus res ab emptore possideri & retineri possit. Qualitas hæc est, quod sint res extra commercium & extra patrimonium *pr. Inst. d. Rer. divis.* ut liber homo *l. 39. §. 3. ff. d. Evict.* Res sacra, sancta vel religiosa *§. 5. Inst. d. Empt. & vendit.*

9. Materia sive Objectum propter quas res Evictio, præstanda est, generaliter sunt res emptæ vel precciô, vel aliô legitimô modo adquisitæ, quoties rei dominium seu aliam quamcunq; commoditatem pecuniæ preciô vel alio quovis modo adquiro. *Petr. Morlar. Empor. p. 1. t. 9. d. contrah. empt. n. 7.*

10. Res mobiles sive immobiles. *l. 1. l. 43. & l. 64. ff. d. Evict.* Allodiales sive Feudales *c. un. pr. d. invest. 2. F. 8.* sive corporales sive incorporales *l. 48. ff. d. Evict.* Animatæ, sive Inanimatæ, liberæ vel servilis conditionis *l. 39. §. 3. & 4 ff. d. Evict.* Sive publicæ sive privatæ, Sacræ Sanctæ ac Religiosæ, de quibus privatis & propriis in alium translatis, nullum ferè est dubium.

11. Res incorporales universales: Ut hereditas, bonorum possessio, fideicommissum, *p. l. 1. C. d. Evict. & tot. tit. ff. d. hered. vel act. vend.* servitus ac jura. Vel totæ sive singulares & pro parte vel divisa vel indivisa *arg. l. 3. §. fin. ff. d. rei vind.*

12. Forma consistit in hoc, 1. ut possessori sine factô & culpa res accepta auferatur ab alio: Quod si tamen ipse auctor rem datam improbè evincere conaretur, ejus intentio exceptione rei venditæ elidi posset, *tot. tit. ff. d. ex-*

cept. rei vend. & trad. 2. Ut litem denunciet suo auctori *l. 53. l. 62. ff. d. Evict. l. 1. C. peric. & commod. rei vend.* 3. Ut fiat in judicio *l. 24. ff. d. Evict. l. 71. §. 1. d. legat. 1.* per disceptationem seu per sententiam judicis *l. 17. C. d. Evict. l. 39. pr. ff. eod.* 4. Per Executionem sive realem adjudicationem judicis *l. 16. l. 21. in fin. C. d. Evict. l. 4. C. d. A. E.*

13. Finis Evictionis est, nequis fraudetur re suâ, eaq; invito Domino non *auferatur l. 11. ff. d. R. I.*

14. Media ad Evincendam rem sunt actiones, puta actio directa sive utilis, actio Confessoria & negatoria, *item l. 35. ff. d. Evict.* hypothecaria: Vel v. g. si res empta evicta, actio empti *l. 60. l. 70. ff. & tot. tit. C. d. Evict.* Si permutata, actio præscriptis verbis *l. 7. §. 2. ff. d. pact.* Si locata, actio ex locato conducto *l. 9. pr. ff. locat. conduct.* Si res alia, prius obligata insolutum data, utilis actio ex empto locum habet *l. 4. C. d. Evict.*

15. Effectus repræsentat actiones de Evictione competẽtes. De quibus in his aphorismis potissimùm tractabitur.

16. Ex quibus negotiis oritur Evictionis actio? Non solum ex emptione Venditione, sed etiam ex aliis negotiis, & contractibus & distractibus, ubi jus & dominium rei nostræ in alium transferre cupimus, sive id fiat per veros eosq; vel nominatos vel innominatos *l. sciendum 52. ff. h. t.*

17. Locum habet de evictione actio directa in contractibus nominatis & quidem in emptione voluntariâ privatâ *l. 6. C. h. t. l. 1. C. d. peric. & commod. rei vend.*

18. In Venditione, h. e. non solum quando emptori res, sed è contra, quando venditori precium evincitur. Unde si nummi venditoris non fiant, sed evincantur, ex vendito emptor tenetur *l. 1. § 1. ff. d. rer. permut. l. 7. C. d. act. empt.*

19. Utilis actio ve[illegible] in judicio familiæ ercissundæ *l. 14, C. famil. ercisc. l. 20. §. 3 ff. eod.*

20. In

20. In locatione conductione quæ proxima est emptioni venditioni *princ. & §. 3. Inst. d. locat. & conduct. l. 2. in pr. & §. 1. ff. locati conducti l. 9. l. 15. ff. eod.*

21. In Feudo, *Sich. ad rubr. C. d. Evict. n. 9. confer. 2. Feud. 80. & tit. 8. c. 1. & ibi gloss.*

22. In rebus pignori datis ante venditionem creditori Evictis. *l. tutor 16. §. contrariam 1. ff. d. pignor. act. Vid. Oldentorp. class. 3. act. 13. Wesenbec. d. pupill. act. n. 8.*

23. In re commodatâ, ante usum finitum evictâ, *arg. tx. in l. commodati 17. §. sicut 3. ff. commod.*

24. In mutuo, quando res mutuo data debitori evicta est, *facit l. 2. §. 4. ff. d. reb. cred.*

25. In distractibus, & quidem in divisione hereditatis, facta ab ipsis cohæredibus unanimibus *l. 14. ibi. Sich. & Interpp. C. fam. Ercisc. Mod. Pist. cons. 35. n. 21.*

26. In divisione omnium bonorum facta ab ipsis sociis. *l. 10. Commun. divid.*

27. Locum habet Evictio in privatâ datione vel cessione in solutum voluntariâ. *l. 4. C. d. Evict. l. 131. ff. d. V. O. Berlich. part. 1. pract. conclus. 24. n. 50. decis. 290. 296.*

28. In transactione, quando alienum id, quod per transactionem datur, evincitur, utilis de Evictione actio competit. *l. 33. C. d. transact.*

29. Idem in contractibus innominatis & quidem de re evictâ, quæ in dotem data fuerat, nisi pollicitatio vel promissio fuerit interposita, contra generum aut mulierem aut heredes eorum *l. 1. C. d. jur. Dot. l. 1. §. 1. C. d. rei uxor. act.* dummodo æstimatio transferendi dominii causâ tradita & evicta sit *l. 1. ibi. late Sichard. C. d. jur. dot.*

30. In donatione, quando res evicta, modo per stipulationem evictio promissa sit *l. 2. C. d. Evict l. 18. ff. d. donat. l. 62. ff. d. ædil. edict.*

31. In

31. In successionibus per universalem titulum sive ex ultimis voluntatibus, sive ab intestato proveniant, *facit b. l. 8. ff. d. hered. vel act. vend. l. 58. ff. d. Evict.*

32. Non locum habet de Evictione actio in delictis: Authorem enim suum non juvat indicare: Wehrmann haben hilfft nicht/ *Finkelthus. Obser. 73. n. 10. Schneidw. Inst. de Injur. §. 1. n. 5.*

33. Cessat, quando res non dum est evicta *l. 3. l. 18. l. 24. C. d. Evict.*

34. In transactione, si nihil datur, sed, tantum id quod remittitur, evincitur. *Berlich part. 1. conclus. 24. n. 45. per l. 33. C. d. transact.*

35. Si sciens emptor rem alienam obligatamve nullâ de Evictione, stipulatione interpositâ comparaverit *l. 28. C. d. evict. l. 69. pr. ff. eod. l. 7. in fin. Comm. utr. &c.*

36. Cùm adhoc ut competat, requiritur res tradita verè ac legitimè evicta sit *l. 18. §. fin. ff. d. peric. & commod. rei vend.*

37. In causis lucrativis; scil. in re donatâ cum incipit à traditione *l. 18. §. fin. ff. d. donat. Wurmser. tit. 22. obs. 32. observ. 1. n. 4.*

38. In re legatâ *l. 45. § fin. ff. d legat. 1. l. 69. ad SCtum Trebell. l. 40. in fin. ff. d. legat. 1.*

39. In re per aleam venditâ *l. 2. §. 1 ff. quar. rer. act. non dat.*

40. In re missilium nomine acceptâ. *l. 8. §. fin. ff. d. contrah. empt.*

41. In re alienâ mihi traditâ, sed pro derelicto habita *l. fin. ff. d. Evict.*

42. Si venditor ignoravit rem alienam furtivam aut alii obligatam esse, ubi solùm ad precii restitutionem tenetur *l. 11. §. 1. §. 7. §. fin. l. 6. in princ. ff. d. act. empt.*

43. Quando ea, quæ tacitè venditæ rei adcesserunt ab alio vindicantur *l. 75. ff. d. Evict.*

44. Si

44. Si venditio rescinditur remedio. *l. 2. C. d. rescind. vendit.*

45. Futuri casus Evictionis post contractam emptionem advenditorem non pertinent. *l. 11. pr. l. 3. ff. d. Evict. facit. §. 4. Inst. d. empt. l. 7. ff. d. peric. & commod. rei vend. l. 1. l. 4. l. 5. & l. 6. C. eod.*

46. Quando res evincitur secundum suam naturam, nisi specialiter in illum quoq; casum facta sit, quô in punctô tamen juris, potius ad consvetudinem recurrendum erit. *c. cum sint & c. ad apostolicæ & alibi. d. decim. ibi Sylvest. in verb. Decima. n. 24.*

47. In re pignori data & jure Creditoris vendita *l. 11. ff. d. act. empt. l. 13. C. d. Evict.*

48. In partu ancillæ evictô *l. 42. ff. d. Evict.*

49. In vitulô post emptionem natô & evictô *l. 43. ff. d. Evict.*

50. Cui datur de Evictione actio?

Omnibus iis, qui ab aliquo bonâ Fide & ex legitimâ & onerosâ causâ aliquid acceperunt. quod ipsis rursus ab aliis sine factô & culpâ, judicis ope legitimè evictum & alii adjudicatum fuit.

51. Et quidem indistinctè omnibus, quorum interest, sive forent masculi sive fœmellæ *l. 22. §. si pro Evictione l. 23. l. 24. l. 63. ff. d. Evict.* sive sint liberi sive servi *l. 21. l. 25. C. eod.* sive patres familias sive filiifamilias *l. 14. C. eod.* sive majorennes sive minorennes *l. 22. l. 39. pr. ff. d. Evict.* sive clerici, sive unus sive plures, sive ipsi, quibus res sunt evictæ sive eorum heredes *l. 14. l. 23. l. 41. C. d. Evict.* Et cessionarii, *Br. in l. 11. pr. n 3. d. act. empt. Burs. cons. 21. n. 18.*

52. Donatori, modo evictionis nomine & non per nudum pactum stipulanti sposponderit, vel dolo quid fecerit donator. *l. 2. C. d. Evict. l. 62. ff. d. ædil. edict.*

53. Locatori, Conductori: ut & Emphyteutæ §. *adeo autem 4. Inst. d. loc. & conduct.* nec non vasallo hoc jus competit scil. utile *cap. unic. 2. Feud. 80. Hartm. Pistor. lib. 2. qu. 10. per tot,* Transactori. *l. 23. C. d. transact.* Pignoratori, mutuatario *l. 2. §. 2. & l. 4. ff. d. reb. credit.* Commodatario. *l. 7. ff. commod.*

54. Non competit ei qui in mala fuit fide & scientiam rei alienæ habuit. *l. 27. ibi Cyn. C. d. Evict.*

55. Nec ei qui rem habet ex donatione simplici *l. 18. §. fin. ff. d. donat. l. 2. C. d. Evict.* vel legato vel fidei commisso *arg. §. 1. §. 6. Inst. d. legat. junct. l. 45. §. fin. d. legat. 1.*

56. Neque ei, cui debitum liberaliter est remissum, quod in laudemio à domino remisso & post ab aliò exactò, probat. *hic Ant. Fab. def. 7.*

57. Contra quem potest hoc jus intentari? Competit de Evictione actio adversus eum, à quo rem vel jus habemus *l. 6. l. 10. l. 17. C. d. Evict.* Contra Auctorem & Auctricem *l. 16. C. d. Evict.* Tam primum (*germ.* Wehrman/ Landr. *lib. 3. art. 7. in fin.*) *l. 1. C. d. peric. & commod. rei vend. l. 5. in pr. ff. d. divers. tempor. præscript. l. 63. ff. l. 7. C. h. t.* ejusq; heredes *l. 18. C. h. t.* Quam secundum *l. 4. in pr. ff. h. t.* id est, fidejussorem *d. l. 4.* ejusque heredes *d. l. 18.*

58. Ut supra ita & hoc loco adversus masculum & fœminam *l. 16. C. h. t.* sive liberum sive servum, sive patrem fam. *l. 39. §. 3. ff. h. t.* sive paganum, sive militem *l. 66. §. 1. ff. eod.* Sive Clericum sive Laicum, sive ipsum qui transtulit rem in alium, sive heredes & successores *l. 8. l. 9. l. 23. C. h. t.* sive unus, sive plures, sive suô, sive alienô nomine contraxerint, modo alienô nomine vendens, ut tutor, requisita solemnia in alienatione minorum non adhibuerit. *Bar. decis. 80. per. l. 4. C. d. Judic.*

59. Adversus principalem & minus-principalem, id est, fidejussorem qui pro principali sponsionem fecit, etiam

non

non citatum ad defensionem *l. 7. C. d. Evict.* sive bonâ sive malâ fide fuerit, nihil referre puto. Adversus Judæos etiam *per. l. 8. C. d. Jud. & Cælic.* Nec non contra Fiscum.

60. Non datur Actio adversus eum qui munere tantum vendendi functus est & ex necessitate officii transtulit, ut est procurator: *Ant. Fab. def. 6.* nec non adversus apparitorem prætoris, qui extra ordinem sententiam exsequitur, *conf. l. 50. §. 1. ff. d. Evict.* Adversus tutorem, simpliciter etiam sese obligantem, pupilli nullâ mentione factâ *l. 5. §. 1. quand. ex fact. tut. vel curat min.*

61. Neque adversus eum, qui alienô nomine vendidit, adserens se nescire an res sit furtiva, necne.

62. Neque adversus suum auctorem, quando circa Evictionem culpa aliqua imputari potest *l. 29. §. 1. l. 56. §. 3. ff. l. 8. c. h. t.*

63. Neque adversus Dominum Vasallus habet actionem, qui sciens investituram alterius beneficii adquisierit, idq; evictum fuerit, quoniam in adquirendo malam fidem habuit *2. Feud. 9. c. 1. pr.*

64. Neque in dote, ubi nulla pollicitatio vel promissio intercesserit, nec æstimata res fuerit *l. 1. C. d. Jur. dot.*

65. Neque adversus venditorem hæreditatis datur regressus, h. e. satisdare de Evictione non debet. *l. 2. in pr. ff. d, hered. vend.*

66, Ad quid actio pro Evictione competit? Imprimis mos Regionis & loci est attendendus *arg. l. 1. §. fin. ff. d. ventr. inspic. l. 5. §. 1. ff. d. jur. immun.* Venditor quidem ad alias res duas similes tenetur ut vult *Gregor. Tholos. lib. 25. cap. 22. n. 11.* In Regno Franciæ simplum præstatur, etsi duplum &c. sit promissum. *teste Rebuff. tit. d. dilat. art. 2. gl. 1. n. 32.* De jure verò communi ex emptô de evictâ re competit actio non ad precium duntaxat recipiendum, sed ad id, quod inter-est.

67. Per precium intelligitur simplum der Wehrt / *l. 60. ff. d. Evict.* quanti scil. Evictionis tempore non ex affectu & utilitate singulorum, sed communiter fungebatur *l. 63. ff. ad L. Falcid.*

68. Illud verò nobis interest, quod propter Evictionem præter simplum etiam nobis abest, quodq́e lucrari potuimus *l. 13. ff. rem. rat. hab. Donel. ad l. 25. C. h. t. n. 4.*

69. Et hoc interesse recipit augmentum & diminutionem, prout quandoq́ue plus minusve tempore Evictionis interest rem evictam non fuisse *l. 16. l. 70. ff. d. Evict.* Tenentur itaq; sub hoc inter esse & usuræ precii à tempore evictæ rei. *l. 74. §. 1. ff. h. t. l. 2. C. d. usur.*

70. Continentur sub hoc interesse fructus. Partus ancillæ etsi quid aliud accessit, non aliter ac si id nominatim promissum sit *l. 8. l. 16. ff. h. t.* sumptus melioratiores *l. 9. ibi Cyn. C. d. Evict.* Damna, *l. 8. ff. l. 17. C. eod.* Impensæ ad meliorandam rem *l. 16. C. eod.* modò non eas, cum rem possideat & à Domino agente, exceptione appositâ ab eodem semel accepisset *d. l. 9. ibi Duar. l. 16. ibi Donell. C. d. Evict.* Nec non omnes impensæ litis, quæ ad instructionem causæ requirebantur *arg. l. 21. C. d. Evict. h. est.* quæ fiebant in exhibitione testium & recolligendis instrumentis. Et (sine quibus lis non poterat agitari) honoraria Advocatorum, Executorum *l. 15. C. d. judic.* Viatica & similia.

71. Actio quoque ex empto competit ad æstimationem usus fructus *l. 15. l. 66. §. fin. l. 67. l. 70. ff. d. Evict. l. 9. l. 21. in fin. C. eod.* quæ utique recipit augmentum & diminutionem prout plus minusve quandoq́ue intersit *l. 34. ff. d. A. E.*

72. Datur actio exstipulatu utplurimum in duplum, quia asidua est in duplum stipulatio *l. 31. §. 20. ff. d. ædil. edict.*

Unde

Unde etiam quasi à parte frequentiori rubrica concepta est de duplà stipulatione: Et frequens ubivis duplæ stipulationis mentio tum hoc titulô, tum aliis.

73. Nonnunquam tamen datur insimplum nonnunquam in duplum, nonnunquam in quadruplum *l. 56. princ. ff. d. Evict.* Et habent hæ promissiones eam differentiam, quod cum simpla promissa est, tum satisdatio promitti debeat, cum duplum, triplum aut quadruplum promissum est, tum nudâ tantum promissione cavetur.

74. Actió simplæ datur emptori ad simplum rei precium consequendum, & nihil prætereà atque hic non præstatur, quanti emptoris interest, sed quod in stipulationem est deductum, quia certa quantitas hic est expressa, nimirum simplum & purum precium plus etiam actione exstipulatione peti non poterit: Ideoque venditor quando Evictionem præstare nequit, si adeò inops, aliave de causâ impediatur, quo minus rem venditam ab oneribus liberam tradere queat, rescissô venditionis contractu ad precium rei h. e. simplum tantùm obstringitur *Schneidew. ad. §. actionum 28. sub. rubr. d. Act. ex empt. n. 43. Inst. d. Act.*

75. Actio de Evictione ex stipulatu duplæ generaliter & latè vel specialiter & strictè accipitur. Illa voluntatis est, & id, quod in eum deducitur quantum etiam fuerit abarbitrio partium dependet *arg. l. 25. C. d. Evict. l. 56. in princ. ff. eod.*

76. Hæc quandoque necessitatis est, & ad eam venditor cogi potest *l. 31. §. 10. ff. d. ædil. edict.* Ut ut autem stipulatio interveniat, emptor tamen vel eâ, vel ex emptô de Evictione utra sibi melius consultum putat, uti potest, *l. 18. l. 19. ff. d. Evict. l. 25. ibiq; Donell. n. 16. C. eod.*

77. Quando & cui datur actio exstipulatu?

Actio exstipulatu datur, cum emptor evictionis nomine

ſtipulatus eſt, & committitur, quoties res ita amitiitur ut eam emptori habere non liceat, propter ipſam Evictionem *l. 21. §. 1. ff. d. Evict.*

78. Competit emptori ut paſſim, atque illô defunctô heredibus ejus *l. 23. ff. d. Evict.* ut & emptoris patri *l. 71. ff. eod.* mulieri *l. 22. ff. eod.* Coheredi *l. 7. C. Comm. utr. jud.* procuratori *l 46. in fin. ff. d. adquir. hered.* Conductori *l. 9. in pr. ff. locat.* Genero *l. 1. C. d. jur. dot.* Pupillo in aditâ hereditate *l. 3. §. 3. ff. quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eat.* Domino, quando ſervus emit. Ignoranti ſe emere rem alienam vel obligatam *l. 27. C. d. Evict.* Creditoribus anterioribus, ſi res ſoluta ſit poſterioribus *l 22. §. 6. ff. d. jur. deliberand.* Emptori malæ fidei, ſi expreſſè Evictionis nomine ſtipulatione cautum ſit *l. 27. C. eod.*

79. Non datur Creditori, ultrò rem reſtituenti *l. 17. C. d. evict.* Emptori non denuncianti litem authori *l. 8 ff. d. Ev.*

Majori repudianti paternam hereditatem ſi ex ea quid venditum ſit poſtea *l. 6. C. d repud. vel abſtin. hered.*

80. Adverſus quem datur hæc actio?

Adverſus venditorem aut dominum, cujus nomine venditio facta eſt *l. 66. in fin. ff. d. Evict. l. 13. l. 25. ff. d. A. E.* Contra heredes venditoris *l. 9. l. 23. C. d. Evict.* Contra heredes inter ſe dividentes *l. 14. C. fam. erciſc.* Contra ſucceſſorem *l. 9. C. d. Evict.* Debitorem *l. 74. ff. eod.* Contra procuratorem & contra nonnullos alios, quos brevitatis ſtudendæ gratiâ, non adpoſuimus.

81. Non datur adverſus fidejuſſorem, ſi authori ejusve heredi emptor non denunciavit *l. 1. C. d. Evict.* Adverſus donatarium, ſi nudô pactô ſaltem promiſit *l. 2. C. h. t.* adverſus Tutores, Curatores, Procuratores, Adparitores, vel alios ex officiô vendentes. *Vigel. d. reg. 40. ex 23.* Et quoscunq; alios, qui ex promiſſione ſtipulanti facta obligati non ſunt Qui aliis poſſunt teneri actionibus.

82. Planè

82. Planè si intereſſe in tantum precium exceſſiſſe proponas, ut non ſit cogitatum à venditore de tanta ſumma, veluti quadruplum vel quintuplum vel ſextuplum etiam excedat, ut iniquum videatur in tam magnam ſummam vel quantitatem obligari venditorem *l. 43. in fin. ff. d. Act. Empt.* ultra duplum periculum eum ſubire non oportet *l. 4. ff. d. A. E. l. un. C. d. ſentent. quæ pro eo qvod intereſt profer.*

83. Sed ſi quis non fundum vel aliam rem corporalem, ſed incorporalem, ut puta; jus crediti vel nomen vendiderit vel ceſſerit, adquid tenetur? Et quidem venditor nominis ſaltem præſtare tenetur, quod ſit nomen, id eſt quod verum & liquidum ſit debitum. Creditor verò vendens jure pignoris hoc, quod ſit potior cæteris creditoribus, *conſtitutum eſt in l. 4. ff. d. hered. vel act. vendit. l. 1. C. cred. evict. pign. non Deb. Et probatum à Berlich. part. 1. concluſ. 24. n. 51. it. part. 2. deciſ. 79.*

84. Reſtat nunc ut breviter diſpiciamus, quibus modis actiones de Evictione competentes tollantur? Tolluntur autem quemadmodum omnes aliæ obligationes, novatione, ſolutione & aliis, *quibus de tot. tit. Inſt. qu. mod. toll. oblig.* Ut & legitimò præſcriptionis vel uſucapionis tempore, quod, regulariter jure Civili 30. annorũ curriculò abſolvitur *l. 3. C. d. præſcript. 30. vel 40. annor.* quò, etſi quis rem alienam vendidit, transmiſsò, deſinit emptor de Evictione obligari *l. 54. pr. ff. d. Evict. l. 19. C. eod.* De jure verò Saxonicò hodiernò venditor regulariter de Evictione conveniri poteſt usque ad 31. annum, cum tribus quaterdenis, quoad immobilia *Zobel. in addit. art. 83. Libr. 3. Landr. in verb.* Wer eigen oder fahrend habe verkauffet *&c. item verſ.* wer ein Gut leihet *lit. a.* ſecus quoad mobilia, ubi emptor ſe tueri poteſt exceptione præſcriptionis annalis, quâ ſi uſus non eſt habet quod ſibi imputet, nec regreſſus datur contra venditorem *l. 19. C. d. Evict. Coler. deciſ. 27. n. 4.*

85.

85. De Nominatione vel Laudatione Authoris, h. est. de litis denunciatione quædam pro ratione instituti subjicienda sunt. Ut autem actor seipsum quandoq; non impediat, requiritur, ut suum Authorem vel heredes singulos in solidum interpellet *l. 23. c. d. evict.* h. e. litem contra se motam esse denunciet *l. 8. l. 9. c. eod.* quæ dennnciatio si facta non fuerit, ab emptore venditor de Evictione non tenetur *l. 8. l. 20. c. d. Evict. l. 1. C. d. peric. & commod. rei vend.*

86. Heredes dixi esse interpellandos *l. 21. c. d. Evict.* h. e. litem eis esse denunciandam *l. 8. l. 9. c. h. t. l. 62. §. 1. ff. eod.* Et quidem si plures, omnes singuli in solidum sunt interpellandi, omnesque debent subsistere, & quolibet defugiente omnes tenebuntur, sed pro parte hereditariâ præstatio injungenda, quoniam evictionis indivisa natura est *l. 85. l. 139. ff. d. V. O.*

87. Tàm præsenti quàm absenti venditori lis est denuncianda *l. 55. l. 56. §. 4. ff. d. Evict.* Etiamsi venditor contractum juratâ fide confirmaverit vel defensurum heredem juratô promiserit: Certissima enim juris Regula est: *Non denunciantem nullam habere actionem l. 8. c. d. Evict. Covarr. in c. quamvis p. 1. §. 4. n. 5.*

88. Denunciatur & lis servo, qui vendidit, vel domino, si servus qui vendidit, decesserit. *l. 39. §. 1. ff. d. evict.* Item pupillo, etiam sine tutoris authoritate, si tutor non adpareat *l. 56. §. fin. ff. d. Evict. Donell. ad. l. 8. c. h. t.*

89. Immo quamvis emptor & venditor simul ab eodem, eâdem in causâ conveniantur, tamen denunciatio facienda *Vigel. d. Except. 20. repl. 10. dupl. 5.* vel si venditor abfuerit, vel aliâ ratione per eum fiat, quo minùs denunciaretur, quod ipsi posteà redierit, adhuc ei denunciandum. *Villal. dupl. 2.* Ita pupillo denunciari potest, licet absente tutore *d. l. 56. §. fin.*

90. Quod

90. Quod si res transiisset per plures, vel etiam mille ex venditione manus, & ultimò emptori moveatur quæstio, *juxta l. 1. C. ubi in rem actio exerc.* tunc emptor denunciat litem suo authori immediato, id est authoris authori, & opus est ut ejus author suo auctori denunciet, quousq; ad primum venditorem perveniatur, *juxta gloss. in l. 22. §. 1. verb. agere ff. d. Evict.*

91. Et tertius quispiam in causa & processu inter alios ventilato, etiam non citatus & vocatus ratione sui interesse intervenire potest *l. 19. C. d. liberal. caus. l. 5. 14. ff. d. appellat.* idq; principaliter vel ad impediendum & removendum & agentem vel defendentem *d. l. 14.* vel accessoriè seu adsistentem, ut scil. una cum principali agente & defendente adsistat & adhæreat *Berlich. part. 1. conclus. 25. n. 2.*

92. Quando lis denunciari non debet?
Si ea remissa est pacto speciali per venditionem *l. 63. ff. d. Evict. l. penult. C. d. pact. Mascard. conclus. 614.*

93. Si venditor simul cum emptore ab evincente conventus & citatus fuit *ut in l. 39. pr. ff. d. Evict. Tusch. conclus. 326. n. 20.*

94. Si vel ipsus auctor primus *l. 17. ff. d. Evict.* ejusve hæres *l. 73. ff. l. 14. C. eod. l. 14. C. d. Rei Vind.* Vel secundus etiam auctor rem emptori evincere conatur *Donell. ad l. 2. n. 19. C. d. evict.*

95. Si emptor denunciare non potuit, vel quia venditor id curavit. *l. 6. l. 55. §. 1. ff. d. Evict.* vel alias ubi esset, cognosci non potuit *l. 56. ff. l. 23. C. h. t.*

96. Si manifestè constat, denunciantem frivolè conveniri, h. e. causam venditoris esse injustam, nullamque ipsi competere exceptionem *l. 11. §. fin. ff. d. act. empt. Mascard. conclus. 614. n. 15.*

97. Si cum posset usucapere, non usucepit *l. 54. l. 56. §. 3. ff. l. 19. C. d. evict.*

98. Si deteriorem calculum & sententiam notoriè injustam vel dubiam leute rationis vel provocationis auxiliò non suspendit vel solemnia ejus non implevit *l. 11. C. d. administr. tut. & cur. gloss. col. 8. art. 4. lib. 5.* Landr.

99. Si faciliori & expeditiori judiciô, quô venditor volebat, uti supersedit, & difficiliori maluit experiri *l. 66. in pr. ff. . Evict. Donell. ad d. l. 8. n. 4.*

100. Si negligentiæ vitiò emisit rem, quam si possideret, exceptione vel suâ vel venditoris *arg. l. 28. C. d. evict. ibiq; Donell.* potuisset retinere, & ita ex possessore petitor factus sit. *Donell. ad. d. l. 8. C. eod. n. 3. Mudæus ad l. cui res ff. d. A. E. & V. c. quando com. stipul. n. 86.*

101. Si emptor aliàs rem proderelicto habuit *l. fin. ff. d. Evict.*

102. Se ipsum ulterius impedit emptor, si contumaciter judicio non adfuit *C. fin. X. d. empt. & vendit. l. 55. in pr. ff. d. Evict. gloss. col. 8. art. 4. lib. 3.* Landr.

103. Si vel planè nullum vel idoneum habeat Advocatum *Tusch. pract. conclus. 767. n. 9. & seq. lit. e.*

104. Ob qualitatem seu vitium negotii emptori perit denunciatio litis, si in aleâ rem emat, ludat, vel licet non collusor fuerit, occasione tamen aleæ, nihilominus efficaciter agere nequit *arg. l. 12. §. 1. ff. mandat.*

105. Ob factum vel qualitatem venditoris litis denunciatio impeditur, si ita cautus est venditor, ut vendendo caveat, se velle teneri pro suo tantum facto non pro alieno, si postmodum factô alterius heredis (non verò defuncti parentis) res evincatur.

106. Quando Feudum alienatur, *Ludolph. Schrad. tract. d. feud.*

d. feud. part. cap. 6, *n.* 6. cujus de naturâ est, ut ad masculos transeat, exclusis fœminis *c.* 1. §, *filia,* 2. 1. *F.* 8. *Rauchb. part.* 1. *qu.* 37. *n.* 1.

107. Si procuratori denunciatum sit, domino præsente & non ignorante, tum enim necesse est denunciare domino ipsi *l.* 56. §. 4. *ff. d. Evict.* si per hypothecariam actionem res evincatur *Vigel. d. except. except.* 20.

108. In quibus contractibus litis denunciatio locum habet? Quamvis ab initio litis denunciatio principaliter in contractu emptionis recepta fuerit. Attamen quin & in aliis contractibus locum habeat, dubitandum non est. Adprimè in permutatione *l.* 1. *ff. d. rer. permut.* Constitutione dotis, *l. un.* §. 1. *C. d. rei uxor. act.* Datione in solutum *l.* 4. *C. d. Evict.* Divisione, *l.* 7. *C. commun. utr. judic.*

109. Sunt tamen multi casus *(quorum Covarr. lib.* 3. *Var. resol. cap.* 17, *n.* 10. *quinquaginta & unum recenset)* qui litis Denunciationem neutiquam admittunt, inter, quos est Transactio. *l.* 33. *C. d. transact.*

110. Forma litis denunciationis est, quod fieri possit tempore quolibet, modo ante, non propè ipsam condemnationem *l.* 29. *in. fi. ff. d. Evict. Sichard. ad l.* 3. *n.* 15. *eod.* h. e. modo venditor jura sua adhuc habeat salva: Quamvis enim nullum certum statuatur tempus, semper tamen illud intelligitur dummodo defensionis adhuc jura sint salva.

111. Ita denunciatio tria continet: 1. Admoneatur venditor, quis moveat litem 2. Quâ de re: 3. Ut veniat & eum defendat vel adsistat. *Requirunt tamen Ang. & Bl. missionem libelli, sed illa tria sufficere ajunt, addentes pulchrum verbum; hoc etiam de consuetudine servari, â quâ non sit recedendum.*

112. Finis & Effectus denunciationis est, tum ut auctorem ex causâ evictionis obliget, tum ut auctor laudatus

possit

possit de re agendâ adesse: Nam illud juris consequitur reus per denunciationem, ut à denunciato in judicio defendatur *l. 20. C. d. Evict. l. 49. ff. d. judic.* Causæ adsistatur, eaque instruatur *l. 21. l. 23. ff. d. Evict.* imò etiam lis sustineatur *l. 62. §. 1. ff. d. evict.* admoneatur quâ utendum sit actione *l. 66. princ. ff. eod.* Neque liberatur venditor ab adsistentiâ, si re per sententiam evictâ, interesse præstare velit. Etsi enim concesserim venditorem præstando interesse audiri, quiâ in facti obligationibus nemo ad faciendum præcisè tenetur, sed præstandô interesse liberatur *l. 13. §. 1. d. Re judic. l. 72. pr. ff. d. V. O.* Attamen quando in judicio adsistentia petitur, præcisè ea auctori injungi debet, cum sententia libellô conformis esse debeat. *l. 4. ff. d. fidei com. libert.*

Multô quidem plura de hâc difficillima & per omnes ferè contractus diffusâ materiâ addi possent, sed brevitati litandum, esto finis.

ANnus abit fugiens, rursus venit annus, & instat
Sic venit ut fugiat, sic fugit ut veniat.
Metatorem anni sequeris, felicibus ausis
Invigilas Themidi, sic *benè* perge alacris.
Nam labor irrequies, pietas sincera, favorque
Sunt scalæ cochlides, quæ super astra vehunt.

Per-Eximio Dn. Autori grat.

JOHANN. VOLK. Bechmann D. & Præses.

QUæ tua sunt, vendis. Nulla hinc Evictio momis.
Ominor, hinc laudes evinces ipse perennes.

Gratulab. deprop.

Erhardus Weigelius, Mathem.
Ducalis Saxo-Vinar. P. P. & P. Alumn. Insp. h. t. Facult. Phil. Decanus.